De

epithetorum usu Aristophaneo

scripsit

Carolus Brinckmann.

Schlaviae

typis expressit H. Moldenhauer

MDCCCLXXV.

Si quis comoediae formam cum aliis poesis generibus comparauerit, in tanta dissimilitudine fieri non poterit, quin quae illi est cum tragica poesi animaduertat similitudinem. Sed etiam quod ad orationem attinet haud facile comicum poetam tragici imitatorem parum intellexeris; huc spectat cum imaginum larga copia et majestas uerborum tum epithetorum usus, unde imprimis poetae lumina dictionis et ornamenta petere solent. Nihilo minus ab hac parte sermo comicus quot tragicus expertus est uirorum doctorum dissertationes accuratiores et disquisitiones desiderat, quod mirum esset, nisi qui adire conarentur deterreri putaremus ab exhaurienda copia illa atque uarietate urbanitatum, subtilitatum, argutiarum, quarum quaeque fere quaestio e comoediis sumpta permultas obicit; ne dicam inueniri quae persentisci potius quam uerbis perpendi malint. Ac de epithetorum usu et epico et scenico cum commentationes haud paucae suppetant, in comico etiam, qui nobis propositus est, in Aristophane uersari et utile et necessarium est, etsi hic nihil nisi fastigia rerum perstringere liceat. Sed ne actum agere uideamur, non artem epithetorum fingendorum et praecepta exponemus, in qua longius progredi noluit Aristo-

phanes, cum id in comico usu perquirendo propositum nobis arbitremur, ut qua ui et mente singula usurpata sint demonstretur. Ac primum quidem permulta nobis obuenient integra ex epico, lyrico, tragico usu sumpta, sequentur quae ad similitudinem eorum ficta sunt, uel una compositionis parte seruata uel ita plane mutatis, ut aut aliud notissimum subaudias aut imitatorem nimia artificia ridentem cognoscas. Quae epithetorum genera reperiuntur, ut facile intellegi potest, in iis maxime comoediae partibus, quibus Aristophanes poetarum mores orationesque effingere uel denotare studet. Sed minime credas Aristophanem suo ingenio parum fretum nihil excogitasse comoediae proprium; immo uero iis partibus, quibus oratio comica uertitur ac pro indole sua exsultare potest, in parabasibus diuerbiisque, occurrunt ab ipsissimo poeta conficta epitheta, quae sermoni quotidiano a comoedia depicto conueniunt et ad communem uulgaremque sensum sese accommodant. Jam ipsius uulgi inculti naturale quoddam ingenium et natiua dexteritas patefit et usurpandi uocabula et componendi, quae a sua cogitatione non abhorreant, quibus eas res complectitur, quae quotidiano usu ultro se praebent. Praecipue autem comoedia proprietatem suam e compositione petit, saepe plurimis iisque diuersissimis rebus ita in unam uocem congestis, ut paene humani spiritus modum excedant. Quod potissimum consilium epithetis tali specie praeditis secutus sit poeta comicus, infra accuratius probabimus. In uniuersum haecce addo: ut tragoedia, quippe quae in sublimiore et elegantiore uitae consuetudine uersetur, grandiora postulat et artificiosiora epitheta, ita comoedia ad humaniores et nequiores mores describendos sua sibi fingit uiliora artisque ignara, quorum insolitus uultus congruat cum oribus illis distortis; depingitur quodammodo quod significetur ipsius uocis compositione ex manifesta uulgi perceptione procreata et sonitu. Jam quidem illud et difficillimum et praecipuum interpretis munus iudicamus, ut poetae consilium rerumque et hominum, qui Aristophani talia scribendi occasionem praebuerant, conditio quantum fieri possit in luce ponatur.

Quodsi in epithetis Aristophaneis considerandis non eo spectat quaestio, ut rationes illae logicae tam multiplices et uariae excutiantur, quae inter adiectiuum, quod quidem ad notionem et compositionem attineat, et nomen, cui apponitur, intercedant, fieri non potest, quin ad singularia quaedam attendamus animum, quae in nullum poetam, qui in epithetis uiguerit, tantopere conuenire uideantur. Eximiam dico poetae uoluntatem ac sollertiam, qua utitur in epithetis cumulandis atque acuendis. Quod in rei natura situm est: comoedia, quae pro indole sua monstruosa et dissoluta in utramque partem uehementius prouehitur ac potissimum uultus in peius fingere studet, ad notionum rerumque uim et sententiam augendam ultro ferebatur. Accedit quod adiectiua, quippe quae nominibus apposita peculiare quid praedicent uel rei notionem premant et describant, facta sunt, quorum etiam incrementa aptissime ad nomina redundent. Singulis haec exemplis comprobabimus. Eodem epitheto bis posito cum grauitate quadam tragico colore tincta utitur chorus Au. 1726, diuino spiritu concitatus, auium beatitudinem extollens *μεγάλαι μεγάλαι κατέχουσι τύχαι γένος ὀρνίθων*, nec Cinesias Lys. 972 coniugem, quam mulieres dulcem appellauerant, flebiliter quodammodo *μιαράν* dixisse satis habet, sed stomachans et quo magis impudentem auersetur, sic indignationem effundit:

ποία γλυκερά;
μιαρὰ μιαρὰ δῆτ᾽, ὦ Ζεῦ.

Saepius fortiusque comicus coaceruat quibus exclamationes augeat, ut Au. 1271—73 praeco Pisthetaerum, quasi cuius sapientiam et beatitudinem laudibus haud satis celebrare possit, eadem notione saepius repetita sic compellat:

ὦ Πισθέταιρ᾽, ὦ μακάρι᾽, ὦ σοφώτατε,
ὦ κλεινότατ᾽, ὦ σοφώτατ᾽, ὦ γλαφυρώτατε,
ὦ τρισμακάριε . . .,

uel quibus homines uitiosissimos eosque importunissimos denotet, ut Eq. 40—3 Demosthenes seruus dominum, quem uitiis abundare uult, talem esse dicit: *νῷν γάρ ἐστι δεσπότης ἄγροικος ὀργήν, κυαμοτρώξ, ἀκράχολος, Δῆμος*

πυκνίτης, δύςκολον γερόντιον, ὑπόκωφον . . . (cf. Plut. 266). Optimum cumulationis exemplum, quod adiectiua cum substantiuis mixta, omnia fere synonyma, praebet, Nub. 445—51 exstat, quae epithetorum copia hominem uersatissimum et deprauatissimum satis denotant, qualis e sophistarum disciplina proditurus sit.

Epitheta, quae simili uel synonyma notione utuntur, plerumque per asyndeton collata sunt, ut uidimus, qua ratione una eademque sententia ex omnibus partibus adumbretur omnibusque, quae usui uulgari expedita sint, afficiatur significationibus. Adiectiua *καὶ* particula inter se coniunguntur, si noua animo succurrunt tantopere, ut uix exhaurienda uideantur; Eq. 247—9 chorus ad Cleonem uerberandum, hominem improbissimum turpissimumque, incitat haec exclamans:

παῖε παῖε τὸν πανοῦργον καὶ ταραξιππόστρατον
καὶ τελώνην καὶ φάραγγα καὶ Χάρυβδιν ἁρπαγῆς
καὶ πανοῦργον καὶ πανοῦργον,

qua quis denotetur elocutione et *καί* particula et *καὶ πανοῦργον* saepius repetito, cuius nequitia uerbis satis dici non possit. Simili modo, cum gradatione aliqua epithetis inter se copulatis, Hermes Trygaeum increpat Pac. 182—3

ὦ βδελυρὲ καὶ τολμηρὲ κἀναίσχυντε σὺ
καὶ μιαρὲ καὶ παμμίαρε καὶ μιαρώτατε,
πῶς δεῦρ' ἀνῆλθες, ὦ μιαρῶν μιαρώτατε.

Aliquoties poeta noster de industria utitur uocibus sesquipedalibus et insolentius compositis, quas cumulat eo consilio, ut uerborum uiolentia congruat cum uiolentissimo affectuum motu; Au. 685—87 aues deorum partes agentes miserandos homines afficiunt epithetis animos plane mouentibus:

Ἄγε δὴ φύσιν ἄνδρες ἀμαυρόβιοι, φύλλων γενεᾷ προσόμοιοι
ὀλιγοδρανέες, πλάσματα πηλοῦ, σκιοειδέα φῦλ' ἀμενηνά
ἀπτῆνες ἐφημέριοι, ταλαοὶ βροτοί, ἀνέρες εἰκελόνειροι,

ac deos fortiore et uehementiore lingua uti, etiam alias

uidemus. Saepius poeta in cumulandis epithetis eam rationem sequitur, ut uel unam compositionis partem in omnibus pluribusue repetat uel omnia eadem terminatione signet, quo animum in eadem cogitatione uel notione, quam praeualere uult, defigat. Euripides Ran. 838 Aeschylum exagitat *ἔχοντ᾽ ἀχάλινον ἀκρατὲς ἀπύλωτον στόμα, ἀπεριλάλητον,* per omnia alpha priuatiuo ita usurpato, quo melius Aeschyleam orationem omni modo carere meminerimus. Dicaeopolis Ach. 517—8 quos in animo habet homines deprauatissimos denotat quippe qui sint *ἀνδράρια μοχθηρά, παρακεκομμένα, ἄτιμα καὶ παράσημα καὶ παράξενα,* adiectiuis cum *παρὰ* et *ἀ* compositis, simile hic significantibus, summam peruersitatem primo loco ponens. Eq. 1371—81 Phaeax per ironiam laudatur a Demo, quippe qui sit *συνερκτικὸς . . . καὶ περαντικός, καταληπτικός τ᾽ ἄριστα τοῦ θορυβητικοῦ,* et Agoronomus ita laudantem interrogat cauillatus: *οὔκουν καταδακτυλικὸς σὺ τοῦ λαλητικοῦ;* quo sonitu singulari et insignito quid assecuturus est poeta nisi ut siue rhetorum et rabularum, qui tum in iudiciis ualebant, dicendi rationem fraudulentam et ridiculam, siue ipsius Phaeacis morem uocabulorum *ικος* terminatione fingendorum derideat?*) Plus grauitatis

*) Praeter cetera studet Aristophanes adiectiuis, quae *ικος* terminatione affecta sunt. Talibus ii maxime designari uidentur, qui effusius alicui rei indulgeant uel praecipue peiori nimis incumbant; plerumque in iisdem euphemismus quidam (Pac. 303 belli miseriae circumscribuntur *κακὰ φοινικικά*) uel ironia (Eq. 457 Allantopoles a choro celebratur *ὦ γεννικώτατον κρέας*) uel taedium (Pac. 532 *ποιητὴς ῥηματίων δικανικῶν* i. e. Euripides) uel ambiguitas quaedam inclusa latet (Lys. 677 perstringuntur a senibus mulieres *ἱππικώτατον γάρ ἐστι χρῆμα . . . γυνή.* cf. Pac. 1176 *βάπτεσθαι βάμμα κυζικηνικόν,* Nub. 747 *γνώμη ἀποστερητική.*) Imprimis ad sophistarum artes et aditus denotandos inuidiam suam et fastidium effundit poeta in formationes quasdam in *ικος* exeuntes: Strepsiades filium e Socratis disciplina his accipit Nub. 1172—3: *νῦν μέν γ᾽ ἰδεῖν εἶ πρῶτον ἐξαρνητικὸς κἀντιλογικός,* i. e. merus sophista

habent formulae quaedam, quibus usus poeta epitheta mirum quantum acuit; laudat Epops Au. 428 Pisthetaerum, quo prudentior et callidior dici non possit, ἄφατον ὡς φρόνιμον (cf. Lys. 1148 ἄφατον ὡς καλός), similiter chorus Automenis filium denotat Vesp. 1279 ἀργαλέον ὡς σοφόν, quo sapientiorem cogitari difficile sit. Nec non cum superlatione aliqua Plut. 750 ὄχλος ὑπερφυὴς ὅσος, Ran. 1136 οὐράνιον ὅσον ἡμάρτηκεν dicitur, nec fieri potest, ut Strepsiadis mentem et conditionem parum intellegamus, si ad Socratis disciplinam nimirum singularem communemque sensum excedentem designandam, omnibus rebus circumspectis qua ultimo perfugio utatur, hanc orationem usurpat Nub. 76 μίαν εὗρον ἀτραπὸν δαιμονίως ὑπερφυᾶ. — Saepius in comparationis gradibus acquiescit comica dictio, nec miramur comparatiua quaedam et superlatiua inusitatius ficta, uelut Eq. 1165 προτεραίτερος, quem ad gradum alias πολύ uel πολὺ πολύ uel μᾶλλον comparatiuo appositis ascendit, Ach. 425 πολὺ πολὺ πτωχιστέρου (cf. Au. 539 πολὺ δὴ πολὺ δὴ χαλεπωτάτους λόγους); Eccl. 1131 μᾶλλον ὀλβιώτερος, Plut. 83 αὐτότατος (cf. Plaut. Trin. 987 „ipsissumus"), u. 182 μονώτατος. Ubi ira efferuescentes uiolentissima et acerbissima epitheta expetunt, bilis sese in superlatiua effundere studet et ea insolentiora; Thesm. 735 Mnesilochus mulieribus maledicit ὦ θερμόταται γυναῖκες, ὦ ποτίσταται, fortius firmandi causa etiam ἁπάντων additur, ut Vesp. 932 κυνῶν ἁπάντων ἄνδρα μονοφαγίστατον, uel ἁπαξαπάντων, qua ipsa compositione nemo relinquitur, ut Eccl. 765 ἠλιθιώτατος ἁπαξαπάντων. Sed etiam ad uirtutes laudesque extollendas superlatiua Aristophani gratissima: per totam fere Pacis fabulam Irene dea, quotiescunque commemoratur epithetisque ornatur, splendidissime et speciosissime extollitur, quasi ne ulla occasio desideratissimae deae commendandae praetermittatur;

---

et rabula; u. 727 Socrates Strepsiadem tironem exhortatur: ἐξευρετέος νοῦς ἀποστερητικός. Comprobantur, quae exposui, multis exemplis: Ach. 634. Eq. 611. Nub. 243, 524. Vesp. 1209. 1275. Pac. 527. Plut. 581. 1137.

appellatur Pac. 662 γυναικῶν μισοπορπακιστάτη, u. 300 θεῶν πασῶν μεγίστη καὶ φιλαμπελωτάτη, uu. 393—4 ὦ φιλανθρωπότατε καὶ μεγαλοδωρότατε δαιμόνων, u. 602 ὦ θεῶν εὐνούστατε. Festiue etiam, quo fiat ironia expressior et magis conspicua, oratio ad superlatiua confugit, quibus turgent Vesp. 1275 sqq. ad Automenis beatitudinem quam maxime deridendam usurpatis, ob filios optimos, quos notat poeta χειροτεχνικωτάτους, alterum σοφώτατον, τὸν κιθαροιδότατον, alterum πολύ τι θυμοσοφικώτατον, et in ipsa insolita superlatiuorum specie et compositionum et terminationum latet mera ironia. — Hinc ad eam speciem adiectiuorum peruenimus, quae cum praeuerbiis aduerbialibus in unam uocem conflata sunt, eo consilio, ut quae inest sententia acuatur. Omnes fere autores suo quisque arbitrio, praesertim quum linguae graecae facilitas et uolubilitas mirum quantum adiuuet, quoduis fere nomen adiectiuum uel aduerbiale cum praepositione nec raro pluribus componere solent, ita ut simplicis significatio non immutetur, sed tantummodo imminuatur uel intendatur. Nec Aristophanis consuetudinem uocabulorum praeuerbiis subiungendorum diserte amplisque exemplis comprobari opus est, restat ut referam, quae e preepositionibus incrementum quoddam sumant. Et solus uel primus fingit comicus ὑπέρσοφος, ὑπέρμεγας: Ach. 973 τὸν φρόνιμον ἄνδρα, τὸν ὑπέρσοφον, Eq. 158 ὁ νῦν μὲν οὐδείς, αὔριον δ'ὑπέρμεγας, quibus epithetis quae afferatur uis emphatica facile apparet; e Nub. 1154 βοάσομαι τὸν ὑπέρτονον βοάν (cf. Aesch. Eum. 539) ter rabulam cognoscas cum e figura etymologica tum epitheto adiecto et eo peracuto. Contra tragoediae colorem copiosa quadam epitheti exornatione, ut assolet, captat et alias et Nub. 571 τὸν ἱππονώμαν ὃς ὑπερλάμπροις ἀκτῖσιν κατέχει γᾶς πέδον. Ad similitudinem τοῦ ἀμφιδέξιος dictum est Ran. 679 χείλεσιν ἀμφιλάλοις et Nub. 949 τοῖς περιδεξίοισι λόγοις. Huc etiam pertinere uidentur Ach. 856 περιαλουργὸς τοῖς κακοῖς, sceleribus quasi purpura per totum corpus tinctus, Ach. 850 περιπόνηρος, Pac. 994 περίκομψος, Vesp. 604 περίσεμνος, Eq. 206 περιφανής, Pac. 309 περιχαρής (cf. Nub. 447

περίτριμμα δικῶν). Sed etiam fortiora quaedam epitheta praeuerbiis subiuncta memoranda sunt, quae pondus suum *λα*, *ἀρι*, *πολυ*, *παν* praefixis debent. Exhibetur unum et id dubitatum quidem, sed a pluribus editoribus seruatum, cum *λα* epitatico compositum, Ach. 664 *λακαταπύγων*, i. e. *ἄγαν καταπύγων* uel *καταπυγονέστατος*. Haud uideo qui *λα* praefixo inesse uim augentem negarint, cuius exempla *Λάμαχος*, *λακατάρατος* alia e Photii lexico sumpta exstant; etiam *λακαταπύγων* a comico dici potuisse quis est qui parum uerisimile statuat, praesertim quum nec metro repugnet et tres codices haud spernendi idem habeant. Vetustiores quidam — „omnes" haud recte notat Custerus, qui *δειλός*, *μαλακός*, *καταπύγων* emendari uult — *λακκοκαταπύγων* (et *λακκόπρωκτος* reperitur apud Aristophanem) exhibent, cod. Rauennas, cuius auctoritatem alias minime aspernor, solum *καὶ καταπύγων*, quo moti recentiores, ne a melioribus libris mss. recederetur, ad uanas, nulla probabilitate stabilitas, coniecturas confugerunt, etsi illa a nobis laudata lectio nihil habeat cur haereamus. Merito iam Bentleius, Brunckius, Bergkius alii in ea acquieuerunt. Unum me offendit, qua re motus hic notionem *καταπύγονος* auxerit poeta, praesertim post *δειλός* simpliciter dictum; nil miri haberet *δειλότατος καὶ λακαταπύγων*. Quare hic in Lamachum, qui in Acharnensium fabula saepissime nominatnr et exagitatur, alludi conicio, quamquam ad Cleonem pertinet epitheton, ita ut ambobus, qui maxime paci obstent, Lamacho et Cleoni, simile quid infigatur *λα* praefixo: *Λάμαχος* i. e. *μαχιμώτατος*, Cleo uel *λακαταπύγων* i. e. *καταπυγονέστατος*; haud temere *δειλός* quoque positum est, quo Cleonis epitheto etiam efficacius Lamachus miles gloriosus significatur. — Unum epitheton reperimus cum *ἀρι* compositum, *ἀριζήλωτος* Eq. 1329, Athenis inditum, quippe quarum ciues ualde delectarentur quam praeclarissimis epithetis insigniti. Inter adiectiua cum *πολυ* composita est unum, quod Aristophanes triuit, *πολυτίμητος*, i. e. honoratissimus, excogitatum ad deos potissimum ornandos; cf. Vesp. 1001 *ὦ πολυτίμητοι θεοί*. Au. 667 Joui tribuit, Thesm. 286 Cereri, Ach. 807 Herculi, Nub. 269. 293 Nubibus, quae

deorum locum tenent, sed etiam Aeschylo Ran. 851, quippe quem ut diuinum ueneretur. Ach. 759 cibus *πολυτίματος*, i. e. carissimus, a Megarensi laudatur, sed proprie hoc deorum esse epitheton ne ille quidem ignorat, cum addat: *πολυτίματος ᾇπερ οἱ θεοί*. Saepius et fortius et colori comico conuenientius illis cum *παν* coniunctis poeta utitur, imprimis ad impetum epithetorum illorum contumeliosorum augendum, quae praecipue ad perditos deprauatosque hominum mores denotandos in promptu habet, illa dico *βδελυρός*, *μιαρός* (uel *μυσαρός*), *καταπύγων*, *κατάρατος*, *πονηρός* adiectiua. Nec grauius senes Lys. 969 summa indignatione impleti mulierem illam, quae Cinesiae tot dolores afferebat, increpare potuerunt locuti:

ταυτὶ μέντοι νυνὶ σ᾽ ἐποίησ᾽
ἡ παμβδελυρὰ καὶ παμμυσαρά.

V. 137 Lysistrata desperans quodammodo, sed summa ira efferuescens in mulieres tergiuersantes et libidinosas stomachum erumpit: *ὦ παγκατάπυγον θἠμέτερον ἅπαν γένος* (cf. u. 558 *ὦ παγκατάρατε*). Au. 1239 Iris dea eodem sensu et consilio, quo Pisthetaerum *ὦ μῶρε μῶρε* compellarat, totum mortalium genus increpans pergit: *μὴ θεῶν κίνει φρένας δεινάς, ὅπως μή σου γένος πανώλεθρον . . . πᾶν ἀναστρέψῃ Δίκη*; cf. Lys. 1039. Nub. 1319. Pac. 183. Sed etiam per blanditias cum *παν* composita adhibentur, ut Lys. 970 *παγγλυκερά*, Plut. 1018 *παγκάλας χεῖρας ἔχειν*. Ceterum permulta cum *πολυ* et *παν* facta colori tragico, qui adundantiae cuidam et laetae exornationi studet, inseruiunt, uelut Thesm. 1041 *πολυδάκρυτος* (*γόος*), Nub. 599 *πάγχρυσος* (*οἶκος*), Au. 1709 *παμφαής* (*ἀστήρ*). Huc etiam referenda sunt illa cum *εὖ* uocula composita, de quorum uno semel tantum apud Aristophanem usurpato hoc loco uberius disserendum erit, cum interpretes haud recte intellexisse nec non plerumque silentio praeteriisse uideantur. Illud dico, quod Nubibus addit poeta epitheton *εὐάγητος*, Nub. 276

ἀέναοι Νεφέλαι,
ἀρθῶμεν φανεραὶ δροσερὰν φύσιν εὐάγητον.

Libri omnes habent *εὐάγητος*, scholiastae interpretantur *πανταχοῦ φερομένην*, *ἢ λαμπράν· πάντῃ φερόμενον·*

εὐκίνητον· τοιοῦτο γὰρ τὸ ὕδωρ, Suidas *καθαράν*. Unde iam ueteres interpretes incertos fuisse liquet; nam nullo modo *πανταχοῦ φερόμενος, λαμπρός, καθαρός* notiones ad idem uocabulum redire posse nemo non uidet. Recentiores fere omnes consentiunt, cum *εὐκίνητος* agilis uertant et ab *ἄγω* uerbo ducere uideantur, quae significatio etiam in lexica nostra transiit. Quam interpretationem Aristophanis loco apte conuenire apparet, an quis est quin nubes, quae per aerem ferantur cito et facile, libenter cogitatione sibi depingat. Sunt autem, quae, ne in hanc sententiam accipiatur, impediant. Ac primum quidem nostro loco *εὐάγητος* antepaenultimam habet productam, quae ex ipso uerbo *ἄγω* nata breuis necesse est fuerit. Deinde sana ratio inuestigari poterit nulla, qua ex *ἄγω* uerbo *ἀγητός* ortum sit, uel *εὐάγητος* ex *εὐαγής*, quod e uerbo illo fieri prius liceret. Accedit quod ne huic quidem adiectiuo agilis notio conuenire uidetur; certe persuasit mihi Godofredus Hermannus, qui, ubi de Aeschyl. Pers. 461 *ἕδραν . . . εὐαγῆ* (Aesch. Trag. II. p. 209 sqq.) quaestionem instituit, silentio grammaticorum adductus, doctissime atque acutissime exempla, quae pro hac deriuatione afferuntur, suspecta reddit, „quippe quae cuncta uel admittant aliam explicationem uel etiam efflagitent.“ Eustathius in opusc. p. 142 *εὐάγητον* intellexit *εὐαγές*, sanctum, respiciens certe ad *ἅζω, ἅγος* alia, quam uocabuli originem etiam Suidas suspicatus uidetur esse, quum *καθαρόν* uellet. Forma quidem uocis minus est ad explicandum difficilis; ab *ἄγαμαι* enim, quod uerbum cum uocabulis illis notatis cognatum esse apparet, adiectiuum *ἀγητός*, admiratione dignus, apud Homerum usitatum est, neque interpretatio haberet, cur haereremus — aptissime Nubes, nimirum deae, sanctae uel colendae admirandaeque mortalibus a poeta dicuntur — nisi et hic antepaenultimae mensura impedimenta obiceret. Si quis in explicatione illa manere uellet, id quod Hermannus de *εὐαγής* adiectiuo, ab *ἅζω* ducto, (l. c. p. 208) confirmare studet, ad *εὐάγητος* transferri opus esset, ita ut syllabam istam esse ambiguam statueretur. Sed ne dicam, Hermannum ipsum coniectura tantum, cum in Empedoclis

quodam uersu (fr. 24) ἄγεα κυκλον (ab ἄγνυμι) in ἅγεα mutandum esse suspicetur, usum esse, ἄγαμαι uerbum et ἀγητός apud Homerum (Od. V, 119. XVI, 203) ubique ita posita sunt, ut de primae syllabae mensura dubitari non possit. Jam uenimus ad ipsius Hermanni interpretationem, quam l. c. p. 206 his uerbis affert: Illud ualde probabile est, nomen εὐάγητος (Nub. 247) ab ἄγνυμι dictum esse et flexuosum, sinuosum notare. Unde deriuatum uocabulum alteram syllabam utique productam exhibet; hoc etiam docemur Leonidae Tarentini (epigr. 28 in Anth. Pal. VI, 204 ῥυκάναν τ' εὐαγέα καὶ περιαγὲς τρύπανον) et Parmenidis (u. 133 ap. Clem. Str. V, p. 732 εὐάγεος ἠελίοιο) uersibus, si εὐαγής et περιαγής ab ἄγνυμι facta posuerimus, ut licet. Quae uocabula secundum ea, quae grammatici tradiderunt (Suidas καλῶς κεκλασμένον, Zonaras καλῶς περιηγμένος ἢ μεταφορικῶς κυκλικός ex Hermanni coniectura) uertenda sunt bene curuatus, rotundus, unde si quid ad nostrum locum recte intellegendum redundare putauerimus, εὐάγητος in eam fere, quam Hermannus proponit, sententiam accipere non dubito. Certe nubium natura flexuosa uel sinuosa ea uidetur esse, quae maxime uariis formis compareat ac facie existat haud facile rectis lineis circumscribenda; fortasse etiam Nubes in scenam productae sinuosis uestibus conspiciebantur. Sed est uocabuli forma difficillima ad explicandum. Nam τος terminatio nulla nisi adiectiui uerbalis esse potest, quod ab ἄγνυμι, sicuti linguae norma postulat, est ἀκτός, cum εὖ compositum εὔακτος; si ex εὐαγής adiectiuo εὐαγέω uerbum, i. e. curuatum uel rotundum esse, fingere uoluissemus, adiectiuo uerbali inde facto quomodo uis quaedam apta subicienda sit docere oporteret. Contra satisfiet fere et menti Hermanni, qui commodissime nubium indolem propriam percepit, et formae, si εὐάγητος ab ἁγέομαι uerbo dorico fecerimus, ita ut pro communi εὐήγητος dictum sit; ita ἁγητός iustum adiectiuum uerbale. Usitatissimae sunt in canticis formae doricae, uelut in nostro βαρυάχεος (u. 277), ἀρδομέναν (u. 282), γᾶν (u. 300), nec, α pro η sumto, de alterius syllabae mensura dubitari potest. Si in Leonidae Tarent.

uersu antea laudato *εὐαγέα* pro *εὐηγέα* et, ut Hermanno uidetur, *περιαγές* pro *περιηγές* positum iudicauerimus, et haec nomina ab *ἡγέομαι* profecta esse in aperto est, ceterum idem, quod ab *ἄγνυμι* deriuata, i. e. bene curuatum uel rotundum significare. *Εὐηγής* rarissimum, alterum hac ui frequentatur (Dion. Per. 157 *τόξον*. Anth. Planud. 4, 195, 4 *χεῖρες*); huius adiectiui potestate usus *εὐάγητος* pro *εὐπεριάγητος* = *εὐπεριαγής* usurpatum esse puto, quo epitheto Nubium *φύσις* describatur uenustis lineamentis decora insignique formae specie praedita. Juuat paullum hanc interpretationem quod antecedit *φανεραί;* certe quidem Nubes, si tali specie insignes in scenam prodibant, omnibus conspicuae exsurgere maluerint. Ceterum multi nostrum *εὐάγητος* et *εὐαγής* interpretantur „lucidus" (klar, hell) dictumque volunt pro *εὐαύγητος* et pro *εὐαυγής* euphoniae causa.

Maxime ad epithetorum pondus et impetum exprimendum illae comoediae propriae compositiones Aristophani gratae commendataeque fuerunt, de quarum specie supra iam quaedam memoraui. Eximiam dico comici poetae artem, qua notiones et uocabula eaque saepius diuersissima ad unam uocem coniungit uel potius copulat ita quidem, ut summum illud epitheton e singulis conglutinatum unius faciem prae se ferat atque idem fere sit, quod tota digressio. Illo igitur, quod uberius descripsi, usus artificio Aristophanes id quoque agere mihi uidetur, ut rei naturam prodigiosam uel affectus cuiusdam immanitatem ipsa uocabuli compositione immoderata et prodigiosa, ipso compositi ambitu depingat uel perstringat. Jam Acharnensium initio facetissime Dicaeopolidem de sorte sua querentem facit: *ἥσθην δὲ βαιά, πάνυ γε βαιά,* ipso uerbi *βαιά* sonitu uilissimo, breuissima specie pusillas sibi oblatas oblectationes denotans, contra, quae aegre ferat, esse *ψαμμακοσιογάργαρα,* quae cum effectu priori opponuntur. Recte iam Hesychius explicauit, egregie Macrob. Sat. u. 20: „composito nomine ex arena et gargaris innumerabilem ut eius lepor est numerum conatur exprimere; *ψαμμακόσια* Varro in Menippeis suis saepe pro multis posuit, sed A. adiecit gargara ad signifi-

cationem numerositatis innumerae." Wolfius Gargarum promunturium Idae ad uocabulum nostrum explicandum paullo longius arcessit. Intolerabiles plane et immoderati mores, quibus Philocleo iste *φιληλιαστής* utitur, manifesto describuntur Vesp. 505 *τρόποι ὀρθροφοιτοσυκοφαντοδικοταλαίπωροι*, quae ut elocutionis conglutinatio solitum modum excedit, ita quae depingitur insania; indicatur miserabilis uita taediique ac laboris plena. Amplissimo enuntiato simplex *γενναῖος βίος* (*ὥσπερ Μόρυχος*) opponitur, quo et uita commoda, ad quam consequendam tot ambagibus non opus sit, magis commendetur, et quae sint natura contraria ipsa uerborum specie sub adspectum subiciantur. — Haud multum cedit quod Nub. 1004 exstat *πραγμάτιον γλισχραντιλογεξεπίτριπτον*, facetissime *πραγμάτιον* deminutiuum cum longiore epitheto coniunctum exhibens, quo significatur causa leuissima in longissimas lites profusa. Eadem mente deminutiuum cum amplissimo epitheto conjunctum esse apparet Vesp. 1357 *ὑίδιον . . . δύσκολον κἄλλως κυμινοπριστοκαρδαμόγλυφον*. Quod simplicius *δύσκολον*, prius appositum, sequitur longissimum illud, hoc modo intellego: est filiolus morosus, leuius hoc quidem, sed grauius quod dicam — et iam uno tenore filii mores inuisissimi enarrantur. Timentur non tam argutiae quam sordida auaritia et morositas filii, quo mortuo pater se amicam redemptam pro pellice habiturum esse pollicetur. Compositum est e *κυμινόπριστος* et *καρδαμόγλυφος*, quarum prior pars sordidum et auarum, qui et cumina secet, dicit, *φειδωλόν*, ut Hesychii explicatione utar; altera, quam idem quod *κυμινόπριστος* uelle Hesychius non recte uidit, acerbum et tristem significat, qui uultus sumat acria *κάρδαμα* gustantis; cf. *κάρδαμα βλέπειν* Vesp. 455, *θυμβροφάγον βλέπειν* Ach. 254. Itaque totum epitheton hominem denotat, qui una cum sordidissima auaritia summam morositatem prae se fert, ut auari graues et molesti esse solent. — Imprimis Aristophanes audaces poetarum uanasque elocutiones carpit, cum non modo imitando in maius extollat, sed etiam onomatopoetice quasi pingendo sub aures et sensum subiciat. Quantopere omnino huic rei

studeat, his perspicias exemplis: Pac. 247 cum dicat *ἁπαξάπαντα καταμεμυττωτευμένα* ipsum Polemum pinsentem et pulsantem audimus; cognoscimus terribili epithetorum sonitu exercitum formidolosissimum et atrocissimum Ach. 1080 *πολεμολαμαχαϊκὸν στράτευμα*, ne dicam, quantum cauillatione nominis Lamachei significetur; cognoscimus Cleonem latrantem omniaque conturbantem, cum appelletur Eq. 247 *ταραξιππόστρατος*, u. 307 *βορβοροτάραξις*, Vesp. 596 *κεκραξιδάμας*. — Summi horroris nobis affertur sensus Ach. 390 in *σκοτοδασυπυκνότριχά τιν᾽ Ἄιδος κυνῆν*, quo simul comicus Hieronymum dithyramborum et tragoediarum poetam exagitet, qui, scholiasta teste, talia portenta insulsa ac fabulosa in tragoediis suis frequenter introduxisse uidetur. — Similiter complura miscens in unum formidinem quandam et odium artis Euripideae nobis allaturus est, quum Ran. 1337 Aeschylus uituperet aemulum tali usum oratione: *μελαίνας Νυκτὸς παῖδα, φρικώδη δεινὰν ὄψιν, μελανονεκυείμονα*, qua somnium dixerit. Sed etiam Euripides carpere conatur Aeschylum, imprimis ei inanem, qui uidebatur, uerborum sonum et strepentes personarum mores exprobrans; depingit Ran. 963 *Μέμνονας κωδωνοφαλαροπώλους* (cf. u. 966), insolitam immoderatamque uocabulorum compositionem Ran. 839 *κομποφακελοῤῥήμων* epitheto. De uocabulo, quam in sententiam accipi uelit, pluribus disseritur uersibus, qui antecedunt; docemur ab Euripide, esse Aeschylum (u. 837—9)

ἄνθρωπον, ἀγριοποιόν, αὐθαδόστομον,
ἔχοντ᾽ ἀχάλινον ἀκρατὲς ἀπύλωτον στόμα,
ἀπεριλάλητον, κομποφακελοῤῥήμονα.

Facete hic poeta comicus in epithetis exsultat cumulandis et in extremo loco posito illo monstruoso summam quasi priorum facit; dixisse uidetur, se alia permulta proferre posse, sed ad finem perducere cum longius esse tum effici non posse.

Alterum, quod ad epithetorum usum comicum uel maxime ualet, poetarum, qui ante Aristophanem innotuerunt, beneuolentiae debetur. Quae a singulis acceperit ita commo-

dissime uidentur describi posse, ut primum quidem epicos, deinde lyricos poetas, postremo tragicos consulamus. Jam uero saepius, imitandi occasione uel illudendi oblata, ipsos poetarum uersus siue immutatos siue leuiter mutatos depetiuit Aristophanes, uel frustula tantum, quibus locum aliquem priorum comico in mente fuisse admonemur. Et permulta obueniunt epitheta, quae hac ratione in fabulas transierunt. Plerumque quidem parodiam intellegas, sed minime omnibus locis in eandem partem accipias. Nam mirum quantum erraret, si quis epicae poeseos rationem irrisam et uituperatam fuisse a comicis putaret, immo optime diuinus (Ran. 1034 *ὁ δὲ θεῖος Ὅμηρος*) et sapiens (Pac. 1069 *ἀλλ' ὁ σοφός τοι νὴ Δί' Ὅμηρος δεξιὸν εἶπεν*) audit Homerus apud Aristophanem*). Itaque epitheta Homerica, quotiescunque parodice usurpantur, non ipsa ridentur, ridentur qui usurpant uel quibus adduntur. Sed nobis de imitatione epica agentibus etiam ea notanda sunt, quibus comicus quasi indolem epicae poeseos et naturam effingat, cum aut antiquitatem respiciat aut orationis totius colore utatur Homerico.

Quo colore tinctus est locus ille notissimus, Ran. 814 sqq., qui uerbis sonoris et cothurnatis turget, cum certamen inter Aeschylum et Euripidem futurum armis quasi Homericis comparetur. Elucet hoc non modo ex hexametrorum usu, sed praecipue e figurata elocutione, de qua scholiasta recte: *εἰς ἓν συνήγαγεν ὁμοῦ ἀμφοτέρας τὰς Ὁμηρικὰς εἰκόνας, τήν τε ἐπὶ τοῦ λέοντος ἐν τῷ „λασιαύχενα χαίταν"*, *καὶ τὴν ἐπὶ τοῦ συός*, perspicitur praeterea cum aliis usus epici uestigiis, uelut u. 815 *ὀξύλαλον . . . θήγοντος ὀδόντα* (Il. XI, 416), u. 822 *φρίξας . . . λοφιᾶς* (Od. XIX, 446), u. 823 *ἐπισκύνιον συνάγων* (Il. XVII, 136), tum epithetis quibusdam: Aeschylo Jouis inditum est cognomen homericum u. 814 *ἐριβρεμέτας* (Il. XIII, 624), Hectoris *κορυθαίολος* (Il. II, 816 al.) u. 818 ad ipsa *νείκη* translatum, nec non qui usurpantur eodem uersu *ἱππολόφοι λόγοι* memoriam

---

*) W. Ribbeckius, De parodiae usu Aristophaneo (in ed. „Die Acharn. des Aristoph. Leipzig 1864").

afferunt ἱπποκόμων τρυφαλειῶν Il. XII, 339; porro χαίτας epitheton λασιαύχην u. 822 tauri est hymn. Hom. Merc. 224. Ceterum omnino Aristophanem, quippe qui summa tragici poetae impletus sit admiratione, Aeschyli orationem totumque studium libenter cum Homeri pondere et maiestate componere docemur significationibus, quas animis personisque Aeschyleis ex Homero arcessit; ipsum poetam facit laudantem Ran. 1017 θυμοὺς ἑπταβοείους, u. 1041 Τεύκρους θυμολέοντας, quales existant in tragoediis, ut dicit epicus Il. fortes impauidosque θυμολέοντας, Il. XII, 220 σάκος ἑπταβόειον. Itaque Euripidi uerba aemuli βόεια uidentur u. 924, ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, tamquam truci Homericorum uultu praedita, praesertim cum ipsum βόειος epitheton epico sit usitatissimum. Simili modo Lamachus ridetur Marti comparatus, cum eodem, quo deus gaudet Il. V, 289. XX, 78. XXII, 267, significetur cognomine Ach. 964 ὁ δεινὸς ὁ ταλαύρινος, quo nempe plane indignus sit; cf. Pac. 241. — Oracula, quae identidem in fabulis Aristophaneis referuntur, antiquitatem quam spirant et obscuritatem maxime debent epithetis sumptis ex epico usu. Appellatur Eq. 197 sqq., ubi oraculum illud in Cleonem dictum exstat, βυρσαίετος i. e. Cleo ἀγκυλοχήλης, ut ranae Batrachom. 297, nisi forte aptius ad Od. XIX, 538 referri uolueris, ubi aquilae rostro adunco inditur epitheton ἀγκυλοχείλης, ita ut Aristophanem ipsum, quum ad ungues alludi e u. 205 (ἀγκύλαις ταῖς χερσὶν ἁρπάζων φέρει) appareat, χηλης e χειλης mutasse iudicemus; cf. Au. 1306 τρόπους γαμψώνυχας Od. XXII, 302 αἰγυπιοῖς γαμψώνυξιν.

Sequuntur oracula Eq. 1015 sqq., quibus haecce praebentur i. u. 1016 τρίποδες ἐρίτιμοι, quales aurum uel aegis Il. IX, 25, memorantur, sequenti uersu κύων καρχαρόδους, qualis Il. X, 360. XIII, 198; u. 1068 κυναλώπεκος natura describitur δολιὰ κερδώ, πολύιδρις, quorum alterum epitheton cum τέχνη Od. IV, 455. 529, cum κύκλος Od. IV, 792 reperitur, alterum hominibus inditum Od. XV, 459. XXIII, 82; λαίθαργος uocabulum his additum ut antiquitate sacratis adnumerare possimus, libenter Casauboni auctoritate utor, qui „Σαίνουσα δάκνεις

καὶ κύων λαίθαργος εἶ“ (apud Soph. Fragm. 902) uetus esse prouerbium contendit. — Pac. 1063 Hierocles hariolus uaticinia sua exorditur ad oraculi similitudinem Atheniensibus dati apud Herod. VII, 140 *ὦ μέλεοι κτλ.* sic uaticinatus *ὦ μέλεοι θνητοὶ καὶ νήπιοι*, quae sunt epitheta Homero usitatissima (cf. etiam Hes. Theog. 563 *μελέοισι θνητοῖς*), *χαροπός* quod sequitur u. 1067 *πιθήκων* cognomen Od. XI, 610, Hes. Theog. 321. Sc. 177 leonum est, et *τρήρων* u. 1067 *κέπφοις* inditum columbarum Od. XII, 63. XX, 238 al; u. 1068 *δόλιαι ψυχαί, δόλιαι φρένες* supra cf. ad Eq. 1068. — Nec desinit Hierocles mutuari grandiloquentiam ab Homero, cum Pac. 1073 *οὔπω θέσφατον ἦν* etc. pergat secundum Il. VIII, 477 *ὡς γὰρ θέσφατόν ἐστι*, u. 1075 *οὐ γάρ πω τοῦτ᾿ ἐστὶ φίλον μακάρεσσι θεοῖσι* secundum Od. I, 82; atque etiam u. 1086 *οὐδέποτ᾿ ἂν θείης λεῖον τὸν τρηχὺν ἐχῖνον* epithetis cognoueris epicam imitationem, si respexeris Od. V, 443 *χῶρος . . . λεῖος πετράων* et X, 417 *τρηχείης Ἰθάκης*. — Sed hic etiam Trygaeus est memorandus, in quo haud minus quam in hariolo illo copia est et uarietas litterarum Homericarum et u. 1092 (*αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ᾿ ἐκάη* etc.) perspicua saepe obuio per Iliadem et Odysseam, et, Hierocle pacem detrectante, u. 1096, quod est Nestoris dictum Il. IX, 63: *ἀφρήτωρ ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος*, nam nemo erat inter Athenienses ita politioris humanitatis expers, quin Homeri carmina iam a puero haberet cognita. Uno praeterea loco profitetur Aristophanes se Homerica dictione uti. Poetam enim Au. 908 in scenam productum haec de se praedicantem facit:

ἐγὼ μελιγλώσσων ἐπέων ἱεὶς ἀοιδάν,
Μουσάων θεράπων ὀτρηρός,
κατὰ τὸν Ὅμηρον (cf. Od. I, 109);

decerpta ex epico frustula etiam exstant Pac. 1270, ubi Trygaeus Lamachi et Cleonymi filios sibi canere iubet: *ἀνδρῶν* epitheton *ὁπλότεροι* exordio Epigonorum debetur (Welcker Ep. Cycl. II, 533 fr. 1), *ἀσπίδων* u. 1274 *ὀμφαλόεις* Il. IV, 448 aliis; idem u. 1278 a Trygaeo

repetitum ad *οἰμωγάς* refertur, quod dictum esse sensu ambiguo Richterus conicit (in ed. Pac. ad hunc uersum); denique u. 1287 *βοὴ ἄσβεστος* significatur uelut passim apud Homerum (Il. XVI, 267). — Au. 1337 parricida Homeri imitator imprimis epithetis conspicitur; uide u. 1337 *αἰετὸς ὑψιπέτας* (Od. XX, 243), u. 1338 *λίμνας ἀτρυγέτου* (Il. XVII, 425), *γλαυκᾶς* (Il. XVI, 34); cognoscitur a Pisthetaero respondente u. 1340 *ἔοικεν οὐ ψευδαγγελὴς εἶν' ἄγγελος*, qui studiis epicis plane initiatus uidetur; cf. Il. XV, 159 *πάντα τάδ' ἀγγεῖλαι, μηδὲ ψευδάγγελος εἶναι.* — Simili modo Nubes Socratis orationem intellegunt, qui cum Nub. 357 abietis epitheton *οὐρανομήκης* (Od. V, 239) ad dearum uocem tonantem transtulisset (*οὐρανομήκη ῥήξατε φωνήν*), a Nubibus haud minus homerice consalutatur sequenti uersu *ὦ πρεσβῦτα παλαιογενές* (Od. XXII, 395 *γρηῦ παλαιογενές*). — Nec non aues Au. 685, quae deos decet, uehementiam quandam et auctoritatem, qua mortales compellent, epithetis consequi student Homericis. Et ipsi sibi immortalium cognomina u. 689 *ἀγήρως* et *ἄφθιτος*, epicae poesi tritissima, imponunt, et imponunt hominibus mortalem infirmitatem prorsus significantia, quorum Homerus peritissimus. Comparant *φύλλων γενεᾷ* ad Il. VI, 146 eos, qui uidentur esse u. 685 *ἀμαυρόβιοι*, quod quidem hac forma non est uocabulum Homericum, cuius priore tantum parte admonemur, *ἀμαυρός*, i. e. obscurus (Od. IV, 824 *εἴδωλον ἀμαυρόν*; proprius ad nostri loci sensum Hesiodus accedit, quum *γενεή* nomini apponat); *ὀλιγοδρανέες* u. 686, quod adiectiuum facile fingi licuit ex *ὀλιγοδρανεῖν* uerbo (Il. XV, 246 *τὸν δ' ὀλιγοδρανέων προσέφη* etc.); *φῖλ' ἀμενηνά* ut Od. X, 521 *νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα*· *ἀπτῆνες* u. 687, ut Il. IX, 323; *ταλαοὶ βροτοί, ἀνέρες εἰκελόνειροι*, quorum epithetorum priore admonemur notissimae ex Odyssea et Iliade *τάλας* formae, altero *τοῦ εἴκελος*, quod ab Homero saepissime usurpatum nunquam cum aliis una uoce coniunctum est. — Atque etiam Pac. 236 Polemi minitantis atroci uultui ualde commendata est orationis grauitas ex Homero partim petita, quae his uidetur: *ἰὼ βροτοὶ βροτοὶ πολυτλήμονες*

(cf. Il. VII, 152. Od. XVIII, 318). — Saepius etiam in parabasibus obuiam fiunt epitheta Homerica uelut Eq. 528 *Κρατῖνος . . . ἐφόρει . . . τοὺς ἐχθροὺς προθελύμνους* (Il. X, 15), u. 1266 *Φοίμαντιν τὸν ἀνέστιον* (Il. IX, 63), u. 1270 *θαλεροῖς δακρύοις* (Od. VI, 66), u. 1290 *ἐννυχίαισι φροντίσι* (Od. III, 178), cum aptiora uideantur simpliciori harum comoediae partium sermoni et notiora fuisse spectatorum auribus, quas ubiuis iuuare studet poeta comicus; permulta praeterea offenduntur in fabulis, quae tamen ad epicum Aristophanis studium minus pertinent, quum una cum canticis illata potius ad usum melicum spectent haudquaquam Homerum aspernatum. Qui quidem eo tempore ita in omnium ore et consuetudine uigebat, ut uix poetae ab eo se abstinere possent.

Quae de imitatione epica supra dixi, ad poetas lyricos ita tantum ualent, ut etiam hos ad lyricas comoediae partes exornandas arcessitos esse statuamus; ceterum, praesertim si ad dithyrambicos respexerimus, quos plus semel ab Aristophane derisos uidemus, eam parodiae speciem, a qua Homerum defendi, primas agere expeditum erit. Nec mirum, quod, ubi commemorantur isti uel ipsi in scenam euocantur, comicus mori eorum accommodat suam orationem nec raro, ubi aptum fuit, ipsorum uerba infercit. Praecipue, quo rectius epitheta haudquaquam temere posita intellegas, ad illud Aristophanis studium animum attendas, quo dithyrambicos poetas per auras quasi uolitare simulat, unde sublimes suas et fucosas elocutiones compositionesque petant. Quod optime e Nubium fabula apparet, quum eadem conditione, qua Nubes sophistarum deae utantur, et ceteros ostentatores uaniloquos et *κυκλίων χορῶν ᾀσματοκάμπτας* (u. 333) uti Strepsiades a Socrate doceatur. Edoctus ille tum quidem, quae ad id tempus inexpedita quasi sibi uisa sint, expedita gaudet ardenti motu gestuque pronuncians u. 335:

ταῦτ' ἄρ' ἐποίουν ὑγρᾶν Νεφελᾶν στρεπταιγλᾶν δάϊον ὁρμάν,
πλοκάμους θ' ἑκατογκεφάλα, Τυφῶ, πρημαινούσας τε θυέλλας,

εἶτ' ἀερίας, διεράς, γαμψοὺς οἰωνοὺς ἀερονηχεῖς,
ὄμβρους θ' ὑδάτων δροσερᾶν Νεφελᾶν· εἶτ' ἀντ' αὐτῶν κατέπινον
κεστρᾶν τεμάχη μεγαλᾶν ἀγαθᾶν, κρέα τ' ὀρνίθεια κιχηλᾶν.

His uersibus cum ipse terminationum sonus tum argumenta et epitheta dithyrambum sapiunt apertissime. Ne dicam illud ἑκατογκεφάλα Τυφῶ Pindaricam continere imitationem (Olymp. IV, 11), et στρέπταιγλος epitheton Nubium, quod ante Aristophanem haud usurpatum inuenio, ab ipsissimo poeta e dithyrambicorum more supra denotato quaesitum est, et quae Nubium et aeris naturae inhaerent notiones aetherii humidi leuis ad cetera, quae usurpata sunt, redundarunt: Nubes ipsae appellantur ὑγραί (u. 335), δροσεραί (u. 338), aues ἀέριαι, διεραί, ἀερονηχεῖς (u. 337). Talia ad ipsum Pindarum refert poeta ille, qui Au. 904 in scenam prodit; certos Aristophani obuersatos esse locos u. 926—7 σὺ δὲ πάτερ κτίστορ Αἴτνας, ζαθέων ἱερῶν ὁμώνυμε, et u. 944 ἀκλεὴς ἔβα docemur, qui ad uerbum desumpti sunt e Pindari fragm. 82 (1. 2)*); etiam quod sequitur u. 950 Junonis cognomen, χρυσόθρονος, Pind. Nem. I, 58 exstat, itaque cetera quoque, quae u. 951—2 nouorum deorum indicant urbem aeriam frigidamque, epitheta τρομερός, κρυερός, νιφόβολος, πολύσπορος non dubito Pindaro inuentori adscribere. Ac Cinesias, qui in Auium fabula producitur, uersu illo Anacreonteo, u. 1373 ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις (Bergk. Anthol. lyr. Anacr. fr. 24), qui sit aperit; intellegit etiam Pisthetaerus praecipens u. 1375: τουτὶ τὸ πρᾶγμα φορτίου δεῖται πτερῶν, blandeque consalutat poetam φιλύρινον, qui sit haud grauior quam lignum tiliagineum. Ipse quae pennatus e Nubibus capturus est noua prooemia ἀεροδόνητα et νιφόβολα esse uult, interpretatus u. 1388: τῶν διθυράμβων γὰρ τὰ λαμπρὰ γίγνεται | ἀέρια καὶ σκοτεινὰ καὶ κυαναυγέα | καὶ πτεροδόνητα. Certe hic epitheta dicuntur splendida et fucosa, quibus dithyrambici saepius

*) Numeri sunt Christii (Pind. carm. Lips. 1869).

usi sint; *νιφόβολος* Euripidi expeditum montibus et saltibus (cf. Phön. 234. Iph. A. 1284) addi solet, idemque exhibet *κυαναυγής* in *ὄφρυσι κυαναυγέσι* Alc. 261; *ἀεροδόνητος* et *πτεροδόνητος* priore quidem compositi parte uentosa poetarum commenta iterant, totis autem ad compositionem quandam tritissimam alludi uidetur, praesertim cum praeterea duo similia in comoediis occurrant: Au. 943 *ὑφαντοδόνητος* (*ἔσθος*), quod poeta Pindarice dictum profitetur, Thesm. 324 *οἰστροδόνητος* (*μυχὸς ἰχθυόεις*), ex imitatione Aeschylea Suppl. 573 *οἰστροδόνητον Ἰώ* (Prom. 589), uersumque festiue in parodiam. Nec paulo post Au. 1394 aues negleguntur, quum simili modo, quo Nub. 328 *ἀερονηχεῖς*, hoc loco uocentur *αἰθεροδρόμοι*. Ac Cinesiae grande dicendi genus transire quasi uidetur in Sycophantam, qui interruptum excipit u. 1410: *ὄρνιθές τινες οἵδ' οὐδὲν ἔχοντες πτεροποίκιλοι, τανυσίπτερε ποικίλα χελιδοῖ*, quibus uersibus Alcaei fr. 84 *ὄρνιθες ποικιλόδειροι τανυσίπτεροι* exemplar fuisse mihi persuasum habeo. Atque etiam ipsi uulgo sensum quendam immoderati ridiculique dithyrambicorum moris tribuit Aristophanes, cum Acharnensium parabasi u. 671 Pindaricum Mnemosynes epitheton *λιπαράμπυξ* (Nem. VII, 15) rideri uideatur a senibus, *Θασίαν* sc. *ἅλμην*, i. e. garum quoddam, eodem decorantibus; totam lyricorum orationem, audaciam, uiolentiam Allantopoles Eq. 626 orationi, impudentiae, proteruitati Cleonis comparat, uoces eius *ἐλασιβρόντας* notans, quo epitheto Aristophanem Pindari fr. 121 *ἐλασίβροντε παῖ Ῥέας* significare omnes consentiunt interpretes. Denique Trygaeum Pac. 829 sqq. Mercurio interroganti, num quos in cursu aerio uiderit, respondentem facit: *οὔκ, εἰ μή γέ που ψυχὰς δύ' ἢ τρεῖς διθυραμβοδιδασκάλων*, qui *ξυνελέγοντ' ἀναβολὰς ποτώμεναι, τὰς ἐνδιαεριαεριηχέτους τινάς*. Maxime mihi arridet Richteri in ed. Pac. proposita explicatio huius uocabuli, quum *αερι* bis positum dicat, *ἐν* uero et *δια* praepositiones esse, quasi sit „*τοὺς ἐν ἀέρι καὶ δι' ἀέρος νήχοντας* poetas", qui Nub. 337 *ἀερίας — οἰωνοὺς ἀερονηχεῖς* decantantes ipsi per auras uolutantur animo; bis uero positum *αερι* belle designat sursum

deorsum uagantes poetarum animos, idemque fere est quod nos dicimus „nebeln und schwebeln“.

Postquam quae comico ad peruersos mores deludendos dithyrambicos commendata fuerint epitheta perlustrauimus, sequitur ut enumeremus, quae ipse ad sua cantica illustranda arcessiuerit. Sed ut perueniamus ad ea, omnes adire coacti sumus, qui omnino lyricam prae se ferant speciem uel excoluerint; ita ut omnes et lyrici, qui uocantur, poetae et tragici et comici e communi quasi fonte hausisse uideantur. Singulis modo hinc modo illinc decerptis non certos ubique locos uel poetas significari, sed exempla tantum comprobari uolo. Sed quod ad orationem attinet, haudquaquam per omnes totasque comoedias carmina, quae inseruntur, eadem conditione utuntur. Jam apparet Acharnenses carbonarios uel senes, qui in Vesparum et Pacis fabula chorum agunt, homines de plebe, qui etiam ut uulgus loquuntur, cothurni plane imperitos fuisse, nec Equites altius assurgunt, quam quoties patriae amore inflammati Athenarum urbis gloriam et splendorem quam maxime extollere student. Contra μυστῶν chorum (in Ranis), Aues, Nubes, cum tenuiore quodammodo et subliminiore sint natura, et magnificentiore et excelsiore oratione uti non mirum est; etiam Ranae altisonae excusantur, quippe quarum in ore sublimiora facile fiant magis ridicula. Quod etiam in Thesmophoriazusis mulieres, ubi chorum agunt, lyrice canentes uidemus, factum est fabulae argumento, cum non modo Euripides in iudicium uocetur, sed etiam die festo et sollemni, quem celebrant, animi magis solent esse erecti. Quae cum ita sint, haud in incerto relinquimur, unde potissimum epitheta, de quibus ago, sint petenda.*)

Aristophanes, qui ciues praeclaris antiquorum morum exemplis propositis ad patriae amorem excitaturus cum alias tum canticis, quotiescunque urbis mentio fit, gloriam eius et felicitatem quam splendidissime exornare studet,

---

*) Numeri uersuum Aeschyleorum sunt Dindorfii (ed. IV Aeschyl.), Sophocleorum eiusdem (ed. IV Soph.), Euripideorum Nauckii (ed. III Eur.)

e lyricis arcessit subsidia. Equites, quorum uoluntatem omnino huc spectare supra annotaui, Eq. 1329 ipsa Pindari uerba (fr. 84) ex parte repetunt exclamantes: ὦ ταὶ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀριζήλωτοι Ἀθῆναι· priora duo apud Pindarum sequitur ἀοίδιμοι, quod non modo metri causa, sed etiam quo superarent mutasse uidentur ad uocis πολυζήλωτος similitudinem (Eur. Hippol. 168). Nec minus paullo ante celebrantur Athenae ab Agoracrito, cui et ipsi u. 1323 ἰοστέφανος, quo epitheto lyrici (Simon. 148, 12. Theogn. 250) Musas ornare solent, u. 1328 ἀρχαῖος, θαυμαστός (h. Hom. Cer. 10), πολύυμνος (h. Hom. 25, 7), κλεινός (Pind. fr. 4) epitheta commendata sunt. Saepius ἱερός uocabulum poetae succurrit, uelut Eq. 582 Παλλάς, ὦ τῆς ἱερωτάτης . . . μεδέουσα χώρας, u. 1319 ὦ ταῖς ἱεραῖς φέγγος Ἀθήναις, Nub. 282 ἱερὰν χθόνα, Pac. 1036, quo loco chorus Trygaeum extollit, quod seruauerit ἱερὰν πόλιν. Praecipue Nubes u. 298 urbem decorant, quum appellent λιπαρὰν χθόνα Παλλάδος (Pind. Isth. II, 20), εὔανδρον (Nem. V, 9), πολυήρατον, quod epitheton saepissime in hymn. homericis usurpatur. Ex hoc poetae studio urbis quam maxime efferendae etiam intellegimus Mineruam, in cuius tutela Athenae erant, nusquam nisi honorificentissimis cognominibus affici. Nec desinit Atheniensibus quam saepissime Mineruam ut deam praesidem in memoriam reuocare; itaque utitur illa significatione, cuius omnino θεοὶ ἐπιχώριοι participes erant, πολιοῦχος (Aesch. Sept. 312 ὦ πολιοῦχοι θεοί) Eq. 581, ἡ ἐπιχώριος ἡμετέρα θεός . . πολιοῦχος Ἀθήνη Nub. 601 (Lys. 344), uel πολιάς Au. 828, κληδοῦχος Thesm. 1143 (Aeschyl. Suppl. 291 κληδοῦχον Ἥρας — Ἰῶ); nominatur Pac. 271 πότνια δέσποινα Ἀθήναια, Nub. 601 αἰγίδος ἡνίοχος, Lys. 1319 πάμμαχος, Thesm. 1136 ἄζυξ κούρη (Eur. Hippol. 546); etiam splendidius Thesm. 317 παγκρατὴς κόρα, ut Jupiter Aesch. Sept. 255, Lys. 344 χρυσολόφα, Thesm. 317 χρυσόλογχος (Eur. Jon. 9), Lys. 1300 χαλκίοικος, u. 1319 ἡ κράτιστα χαλκίοικος (Eur. Hel. 245 χαλκίοικον ὡς Ἀθάναν), Thesm. 1136 φιλόχορος (Eur. Iph. A. 1037 κιθάρα φιλ.). — Atque etiam

ceteri dei, quorum inuocatio in canticis Aristophaneis principem fere locum obtinet (cf. Nub. 562 sqq. Thesm. 312) et quae eorum sunt insignia et quasi uestigia splendidis illis epithetis gaudent, quae facile ad lyricum usum possunt referri. Hoc canticis quibusdam comprobare mihi liceat. Nub. 275 sqq. Nubium chorus haec habet: ipsae Nubes deae *ἀέναοι* appellantur ut *ποταμοί* Simon. fr. 57, quibus respondent u. 298 *πάρθενοι ὀμβροφόροι* (Aesch. Suppl. 36 *ἄνεμοι*), natura earum u. 276 *δροσερά*, ut Eur. Hel. 1335 *πηγαί*, u. 280 *ὀρέων κορυφαὶ δενδρόκομοι* ut in Eur. Hel. 1107 *ἐν αὐλείοις ὑπὸ δενδροκόμοις*, u. 281 *σκοπιαὶ τηλεφανεῖς* ut Soph. Philoct. 189 *ἀχώ*, u. 283 *ποταμοὶ ζάθεοι*, quo adiectiuo omnino loca, montes, fluuii significari solent, quibus dei uersantur (cf. Pind. Ol. III, 29 *ζαθέοις ἐπὶ κρημνοῖς Ἀλφεοῦ*), u. 284 *πόντος βαρύβρομος* (cf. u. 313 *Μοῦσα βαρύβρομος αὐλῶν*), ut dicit Euripides Hel. 1305 *βαρύβρομον κῦμ' ἅλιον* (cf. Hel. 1351 *βαρύβρομον αὐλόν*), u. 285 *ὄμμα αἰθέρος ἀκάματον* ut Aesch. Pers. 900 *σθένος*, Soph. Ant. 339 *Γᾶ*. Nec non Epops, qui Au. 209 sqq. lusciniam uoce allicit, dulcedinem cantus e lyricis decerpit: incipit u. 209 *ἄγε σύννομέ μοι* (cf. u. 678), qui uocabuli usus Pind. Isth. III, 27 exhibetur, uocat u. 210 carmina lusciniae *ἱερά*, os *θεῖον*, u. 212 Ityn *πολυδάκρυν*, quod epitheton Aeschylus Sept. 645 *Οἰδίπου γένει* addit. Sequentibus uersibus *ἐλελιζομένη διεροῖς μέλεσι γένυος ξουθῆς* poetae uerba cum Euripide Hel. uu. 1111—12 *ἐλθὲ διὰ ξουθᾶν γενύων ἐλελιζομένα θρήνοις ἐμοῖς ξυνῳδός* conueniunt, praesertim cum etiam Euripides lusciniam dicat et *διερὰ μέλεα*, i. e. lacrimosa carmina, *τοῖς θρήνοις* respondere appareat: et paullo post quod est u. 215 *σμίλακος* epitheton *φυλλόκομος* facillime potuit uel uoluit Aristophanes fingere ad tot cum — *κομος* — a lyricis composita respiciens, nisi forte etiam hoc uocabulum cum tragico, qui cantici laudati uersu primo *δενδρόκομος* habet, conferre malueris; sequitur u. 217 *ὁ χρυσοκόμας Φοῖβος*, etiam Pindaro (Ol. VII, 59), Euripidi (Suppl. 967) talis uisus, et quod phormingi eius inditur epitheton *ἐλεφαντόδετος* u. 218 iam Euripides

finxit (Iph. Aul. 582 ἐλεφαντοδέτων πάροιθεν δόμων). Nec dubitat poeta Auibus diuina cognomina ex usu lyrico petere, uelut Euripideum Cupidinis πτεροποίκιλος (Hippol. 1270) Au. 248 (cf. u. 1410), Furiarum πτεροφόρος (Or. 317) Au. 1757, Sophoclea Joui tributa (O. C. 1085—6) πάνταρχος et παντόπτης Au. 1058. Ceteri dei in canticis memorati plerumque gaudent legitimis: appellatur Jupiter Thesm. 315 μεγαλώνυμος (Soph. Ant. 148 Νίκα), Nub. 562 ὑψιμέδων, quod epitheton Hesiodeum Pindarus etiam ad Parnassum transfert Nem. II, 18, sedes eius Au. 1732 ἠλίβατος (Pind. Ol. VI, 110 πέτρα Κρονίου), u. 1750 ἔγχος πύρφορον, u. 1746 πυρῶδες dictum, (Soph. O. R. 200 ἀστραπή); appellatur Neptunus Eq. 551 ἵππιος ἄναξ (Aesch. Sept. 130), cui placet u. 552 ἵππων κτύπος χαλκοκρότων (Pind. Isth. VI, 3) et u. 554 κυανέμβολοι τριήρεις (Eur. Electr. 436 πρῷραι); dicitur Eq. 59 χρυσοτρίαινος (Arion fr. u. 2), Nub. 566 μεγασθενής (Pind. Ol. I, 25), Thesm. 323 ἁλιμέδων, facile mutatum e ποντομέδων (Pind. Ol. VI, 103), quod epitheton Neptuni parodice transfertur ad Carcinum Vesp. 1531, quippe quem ut patrem liberorum τοῦ θαλασσίου θεοῦ (u. 1519) mirum quantum deceat; celebratur Ceres Ran. 382 καρποφόρος ut Pind. Pyth. IV, 6 Λιβύα, Nem. VI, 11 ἄρουρα; Apollo Ran. 231 φορμίγκτας ut Pyth. IV, 176 Orpheus, Apollinis pater, Thesm. 315 χρυσολύρας (Eur. Alc. 570 εὐλύρας), Lys. 1281 ἁγησίχορος (Pind. Pyth. I, 4), Nub. 597 Κυνθίαν ἔχων ὑψικέρατα πέτραν (Pind. fr. 285); Diana inuocatur Thesm. 320 πολυώνυμος (Bacchyl. 48, 1 Νίκα), θηροφόνη (Eur. Herc. fur. 375), cui Nub. 598 est πάγχρυσος οἶκος (Pind. Ol. VII, 4 κορυφά); Bacchus Thesm. 987 κισσοφόρος (Pind. Ol. II, 50), qui celebretur u. 989 κώμοις φιλοχόροισιν (Eur. Iph. A. 1037 κιθάρα), u. 968 εὐκύκλῳ χορείᾳ (Pind. Nem. IV, 66 ἕδρα); Cupido Au. 1737 ἀμφιθαλής (Aesch. Choeph. 394 Ζεύς), u. 1738 χρυσόπτερος (h. hom. Cer. 315 Iris), qui gerit u. 1739 ἡνίας παλιντόνους (Soph. Trach. 511 τόξα); Gratiae Pac. 797 καλλίκομοι, quod epitheton lyricis est usitatissimum, uelut Musarum Sapph. 60, hoc autem loco

Stesichoro conuenit (fr. 34, 1 *Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων*); Nymphae Pac. 326 *ὀρειπλάγκτοι* (Soph. Oed. R. 1100 *Νύμφαι ὀρεσσιβάται*), Musae Ran. 229 *εὔλυροι* (Eur. Alc. 570 *Ἀπόλλων*). — Ceterum Aristophanes ut lyrici permulta epitheta *εὖ* uocula laete exornata exhibet, uelut Nub. 309 *εὐστέφανοι θυσίαι* (Theogn. 1339 *Κυθέρεια*), Au. 1062 *εὐθαλεῖς καρποί* (Eur. Tro. 217 *εὐκαρπεία*), imprimis locis addita: Ran. 373 *εὐανθεῖς κόλποι λειμώνων* (Pind. Pyth. II, 63 *στόλοι*), Au. 1067 *κήπους εὐώδεις* (Pind. Ol. VII, 59 *ἄδυτον*), Au. 230 *εὐσπόρους γύας*, u. 245 *εὐδρόσους τόπους* alia. — Sunt praeterea, quibus loca in canticis commemorata decorantur, *ἐρόεις* Au. 247 *λειμών* (h. Hom. Merc. 31), *ἀνθεμώδης* Ran. 448 *λειμών* (Aesch. Prom. 455 *ἦρ*), cui similia u. 351 *ἀνθηρός*, u. 441 *ἀνθοφόρος*, u. 448 *πολύῤῥοδος*, *μελάμφυλλος* Thesm. 997 *ὄρη*, ut Pind. Pyth. I, 27 *Αἴτνας κορυφαὶ μελάμφυλλοι*. Id etiam est notandum Aristophanem nonnulla epitheta a lyricis tritissima ita quasi ridere, ut maiore cum audacia quae nominibus concretis addi solebant ad abstracta transferat; hac ratione usurpat *καλλίχορος* (Pyth. XIV, 26 *πόλις*, Sim. 108 *πατρίς*, Eur. Heraclid. 359 *Ἀθῆναι*), cum dicat Ran. 451 *τρόπον καλλιχορώτατον*, et *φιλοπαίγμων* (Hes. fr. XI *ὀρχηστῆρες*, Anacreontea 2 B *Βάκχαι*) u. 332 *φιλοπαίγμονα τιμάν* (cf. Thesm. 112 *εὐμούσαισι τιμαῖς*). Quod iam compluribus exemplis perspexeris, Aristophanem imitatione haudquaquam nimis diligenti uti, amplius confirmari licet; aliquoties enim una compositi parte seruata memoriam tantum usus lyrici affert; itaque haecce adicio: Nub. 570 Nubes patrem suum uocant *Αἰθέρα βιοθρέμμονα* fortasse recordatae nonnullorum cum-*θρεμμων*-compositorum, uelut Aesch. Pers. 33 *πολυθρέμμων Νεῖλος*, Eur. Hel. 1323 *χιονοθρέμμονας σκοπιάς*· eaedem antea u. 303 templum, in quo mysteria fiunt, dicunt *μυστοδόκον δόμον* secundum Pind. Pyth. 27 *ἐν μηλοδόκῳ Πυθῶνι*, nec cicadae epitheton Au. 1096 *ἡλιομανής* auctoritate caret, si Aeschylum consulimus, qui praebet Sept. 653 *θεομανὲς στύγος* (cf. Soph. Ai. 143 *τὸν ἱππομανῆ λειμῶνα*).

Postquam epitheta praecipue sub oculos posita enumerauimus, quae comicus poeta e lyricis ad suum usum uerterit, iam ad tragicos trahimur, qui iam uero Aristophanem destituere noluerunt. Ad totius comoediae formam et speciem quantopere ualuerint, initio dissertationis breuiter exposui, quae inde fluxerint epitheta, quibus poeta uel ludat uel imitetur morem tragicum, quaestio est. Sed priusquam ad singulos accedamus, qua condicione et auctoritate utantur apud Aristophanem, paucis adumbrari necesse est. Ac satis notum est eos, quorum imprimis rationem habeat comicus, esse Aeschylum et Euripidem, nec facile quis ignorat, quales conspiciantur comoediis. Optime hoc intellegimus Ranarum fabula, qua poeta Aeschylum, cuius admiratione impletus erat, et Euripidem, quem quauis oblata occasione acerbissime carpit, certantes inter se facit. Ran. 769 Aeacus id, quod sentiebat Aristophanes, eloquitur: *ἐκεῖνος*, i. e. Aeschylus, *εἶχε τὸν τραγῳδικὸν θρόνον, ὡς ὢν κράτιστος τὴν τέχνην*, paulo post ipse Aeschylus, cum quae inter se atque aemulum intercedant discrimina u. 1013—17 describat. In Sophoclem, cuius ingeniosa ars mundaque poetae nostro minime sit suspecta, perraro in fabulis legendis incidimus. — Permulta epitheta, quae ad tragicos spectant, obueniunt nobis iis locis, quibus comico uel certa cuiusdam enuntiata obuersata sunt uel ipsi siue commemorantur siue certantes inter se fiunt. Quod ad priora attinet, de quibus dubitare non possumus, haec fere sunt: Ach. 965 Lamachi pedissequus ad domini dignitatem describendam Tydei ex Aeschylo arcessit Sept. 384 *αὐτῶν τρεῖς κατασκίους λόφους*, Au. 276 Pisthetaero insolita noui cuiusdam auis specie obstupefacto tragica succurrunt frustula, cum quaerat: *τίς ποθ᾽ ἐνθ᾽ ὁ μουσόμαντις ἄτοπος ὄρνις ὀριβάτης·* duo priora epitheta ex Aesch. Edon. fr. 58 sumpta sunt, extremum e Soph. Ant. 350; huic etiam u. 275 *ἔξεδρος χώρα* (fr. Tyr. init.) debetur, quam Pisthetaerus portento assignat. Ex eadem Sophoclis tragoedia Dionysi epitheton *ταυροφάγος* Aristophani commendatum est, quod ad Cratinum transferat: Ran. 357 *μηδὲ Κρατίνου τοῦ ταυροφάγου γλώττης βακχεῖ᾽ ἐτελέσθη*. Atque

etiam quam Nicias seruus cum conseruo ualde tragice pro desperatione sua collocutus arripit orationem, Eq. 84 *βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν*, in Sophoclis Helena (fr. VI, 1) repertam scholiasta testatur. Sed, ut dixi, rariores sunt Sophocleae significationes, pergo in Aeschyleis. Et ipsa Aeschyli et Euripidis certamina uberrimum fontem praebent. Decerpta sunt uel uidentur esse ex aemuli tragoediis trunca illa, quibus Euripides carminum eius genus perstringat Ran. 1285—95. Primus quidem, quem affert, et tertius uersus apud Aeschylum offenduntur, alter Agam. 109 *ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβας*, alter u. 111 *σὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτωρ θούριος ὄρνις*, nec concludere dubito etiam ceteros ad certos referendos esse locos, qui nobis perditi sint. Ceterum, quod praecipue aemulo exprobrat, cothurni magnificentia, qua Aeschylus elucet, commeretur. Vel ipse Euripides orationem effingere studuit egregie temperatam, unde factum est, ut ampullas et sesquipedalia uerba plane auersaretur, Ran. 924—5 *ῥήματα βόεια . . . ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, δείν᾽ ἄττα μορμορωπά*. Quo grauius uastas illas fortesque elocutiones et compositiones Aeschyli ludat, ipse imitatur in maius rem extollens, cum homines illos u. 1016 *δόρυ καὶ λόγχας πνέοντας* appellet Ran. 963 *Μέμνονας κωδωνοφαλαροπώλους*, quasi qui plus efficiant strepitus quam horroris, uel paullo post u. 966 *σαλπιγγολογχυπηνάδας, σαρκασμοπιτυοκάμπτας*, qui iam fronte et uultu se incredibile facillime et per ludum patrare posse indicent. Etiam u. 932 *ξουθὸς ἱππαλεκτρύων*, qualis Pac. 1177 miles gloriosus fugiens lingua tantum fortis denotatur, Euripidi ualde est obscurus et suspectus. Alia, quibus Euripides aemulum depingere studet ut indomitum effrenatum inexsuperabilem, exstant Ran. 837 *ἀγριοποιός, αὐθαδόστομος, ἔχων ἀχάλινον ἀκρατὲς ἀπύλωτον στόμα, ἀπεριλάλητον*, et quae his epithetis praebentur metaphorae insolitae, *ἀχάλινον, ἀπύλωτον στόμα*, festiue ex ipsius Euripidis usu depromuntur (Bacch. 386 *ἀχαλίνων στομάτων*, Or. 903 *ἀνὴρ ἀθυρόγλωσσος*). Saepius Aristophanes iis ipsius Aeschyli epithetis utitur, quibus uel compositionum audaciam uel

crebriorem usum peculiaremque speciem significet. Ran. 903 *ἀνασπῶντ᾽ αὐτοπρέμνοις τοῖς λόγοις* depingit Aeschylum, qui Mineruam loquentem facit Eum. 401 *ἔνειμαν αὐτόπρεμνον ἐς τὸ πᾶν ἐμοί.* Huc pertinet praecipue chori iam saepius laudati oratio u. 814 sqq.: dicuntur tragici uoces u. 821 *ῥήματα ἱπποβάμονα,* cum reperiantur Suppl. 284 *ἱπποβάμονες κάμηλοι,* Prom. 804 *στρατὸς ἱπποβάμων,* u. 825 *γηγενὲς φύσημα* ut Prom. 677 *βουκόλος γηγενής·* u. 824 *ῥήματα γομφοπαγῆ,* cum multa exhibeantur fabulis Aeschyleis cum-*γομφος*-facta, uelut Pers. 71 *πολύγομφον ὅδισμα,* Suppl. 846 *γομφοδέτῳ δορί* (cf. u. 440 *γεγόμφωται σκάφος*), nec desint cum — *παγης* — composita uelut Sept. 737 *μελαμπαγὲς αἷμα φοίνιον,* et ipse poeta u. 820 *φρενοτέκτων ἀνήρ,* quo admonemur epitheto complurium cum *φρήν* et *τέκτων* compositorum, uelut Prom. 878 *φρενοπληγεῖς μανίαι,* u. 1054 *τῶν φρενοπλήκτων,* Prom. u. 714 *σιδηροτέκτονες.* Atque etiam Euripidi tale subuenit compositum u. 929 *ῥήματα ἱππόκρημνα,* periculi quasi et discriminis plena, quo gratissima Aeschylo cum *ἵππος* (cf. *ἱπποβάμων*) et *κρημνός* (Prom. 5 *πέτραις ὑψηλοκρήμνοις,* u. 421 *ὑψίκρημνον πόλισμα*) facta uocabula rideat. Ipse Nub. 1367 *κρημνοποιός* ab Phidippide nominatur, quae significatio Strepsiadem ualde mordet. Oblique perstringi uidetur Aeschylus ob epitheta cum — *σπλαγχνος* composita, uelut Sept. 257 *κακόσπλαγχνος,* u. 890 *ὁμόσπλαγχνος,* quorum ad similitudinem Ran. 496 Dionysus fingit *ἀφοβόσπλαγχνος·* fortasse etiam si ad *ναύφρακτος* (i. e. nauibus defensus) uocabuli usum respicimus, cum quod Aesch. Pers. 950 (*ναύφρακτος Ἄρης*), u. 1029 (*ν. ὅμιλος*) exhibet, ab Aristophane non tam Eq. 577 *ἐν ναυφράκτῳ στρατῷ* quam Ach. 95 *ναύφρακτον βλέπεις* comice usurpetur. Parodice et ambiguo quodam sensu epitheton Prom. 359 *Ζηνὸς κεραυνῷ* datum Pac. 42 reperimus ipsi Joui impositum, cum canthari natura in controuersiam uocata seruus coniciat: *οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως τοὐτ᾽ ἔστι τὸ τέρας οὐ Διὸς καταιβάτου,* tamquam aluum deicientis.

Multo amplior et certior parodiae usus nobis statu-

endus est iam Euripidea perlustraturis.*) Imprimis comico erat inuisus poeta tragicus, quod sophistarum, qui uidebantur Aristophani, studiosus sublimium rerum disceptationem in scena institueret, unde rhetoricus fucus, imprimis controuersiae personarum tamquam foro litigantium omnesque dicendi artes experientium. Carpit rhetorica ista artificia Aristophanes epithetis *λίσπος, λεπτός, δικανικός*: Ran. 826 *ἐπῶν βασανιστρίαν λίσπην γλῶσσαν*, u. 956 *λεπτῶν κανόνων εἰσβολάς*, Pac. 534 *ῥημάτια δικανικά·* ob orationis apparatum et luxuriam loquacitatem ei obicit (u. 1069 *λαλίαν καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξας*) *λάλος* adiectiuo: u. 91 *μειρακύλλια πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα*, u. 815 *θήγοντος ὀξύλαλον ὀδόντα*, uel illam, quam Aristophanes *κομψός* epitheto exprimere uult, falsam quandam munditiem et continentiam: u. 967 *οὑμοὶ δὲ . . . Θηραμένης, ὁ κομψός*, quam Nub. 1030 etiam chorus dicere uidetur, cum iniustum compellet oratorem *ὦ κομψοπρεπῆ μοῦσαν ἔχων*, quippe qui et ipse ex Euripide philosophiam suam deprompserit (cf. Eq. 18 *κομψευριπικῶς εἰπεῖν*). Imprimis tragoediae dignitatem minutam esse ab eo poeta, qui quaelibet flagitia diuulgarit (Ran. 1079) et ad res pusillas et domesticas animum attenderit, *οἰκεῖα πράγματ' εἰσάγων* u. 959 (cf. u. 980). Quam ob rem Ran. 844 Aeschylus eum compellat *ὦ στωμυλιοσυλλεκτάδη*, qui omnes narratiunculas et fabellas colligat; uituperat u. 842 *ῥακιοσυρραπτάδην*, qui reges et heroas pannis indutos proposuerit (Ach. 432 *Τηλέφου ῥακώματα*, u. 453 *Θυεστείων ῥακῶν*), carpit u. 842 *πτωχοποιόν*, mendicos in scenam producentem (Ach. 424 *Φιλοκτήτου τὸν πτωχόν*, u. 448 *πτωχικὸν βακτηρίον*), u. 846 *χωλοποιόν*, claudos exhibentem uelut Bellerophontem (Ach. 427 *Βελλεροφόντης ὁ χωλός*, cf. Pac. 147 *χωλὸς ὢν Εὐριπίδῃ λόγον παράσχῃς*), uel umbras exsangues omnique peculiari nota destitutas (Vesp. 1414 *ἔοικας Θαψίνῃ Ἰνοῖ κρεμαμένῃ πρὸς ποδῶν Εὐριπίδου*), quae optime depinguntur epithetis Ran. 1331 sqq. *ὦ Νυκτὸς κελαινοφαὴς*

---

*) Nauckius, De Euripidis uita, poesi, ingenio (in tragoediarum ed. Vol. I.).

ὄρφνα, τίνα μοι δύστανον ὄνειρον πέμπεις ἐξ ἀφανοῦς, Ἀΐδα πρόπολον, ψυχὰν ἄψυχον ἔχοντα, μελαίνας Νυκτὸς παῖδα, φρικώδη δειvὰν ὄψιν, μελανονεκυείμονα, uel denique personas uulgares et tanquam e foro arcessitos in scenam traducentem, qui uidentur Aristophani u. 1014 sq. *διαδρασιπολῖται, ἀγοραῖοι, κόβαλοι, πανοῦργοι,* prauis moribus et abiectis insignes. — Postquam quae in uniuersum ad Euripidis poesin ipsumque poetam perstringendum comico placuerint epitheta considerauimus, ipsius quae receperit restant; ac fere talia sunt, qualibus illico Euripidea artificia intellegamus, quippe plerumque parodice usurpatis. Eccl. 972 adulescens amicam allocutus *ὦ χρυσοδαίδαλτον ἐμὸν μέλημα* admodum ridicule ab Euripide mutuatur epitheton (Iph. Aul. 219 *χρυσοδαιδάλτοις σιομίοις*); Pac. 155 cantharus, *Πηγάσειον* illud *γενναῖον πτερόν* (u. 76), *χρυσοχαλίνοις ψαλίοις* ornatur, quod uocabulum Beller. fr. 309 reperitur; Nub. 1024 iniusto oratori prorsus conuenit quod sapientiae eius imponitur epitheton Euripidi saepius expeditum (Suppl. 618 *τὰ καλλίπυργα πεδία,* Bacch. 19. 1209 *ὦ καλλίπυργον ἄστυ*), cum compelletur *ὦ καλλίπυργον σοφίαν κλεινοτάτην ἐπασκῶν,* quasi Euripidea philosophia imbutus; huc etiam spectat Ach. 119 *ὦ θερμόβουλον πρωκτὸν ἐξυρημένε* (Eur. Med. *ὦ θερμόβουλον σπλάγχνον* scholiasta teste). Nec non Lamachi magniloquentiam mirum quantum decet Euripidea imitatio Ach. 1072 interrogantis: *τίς ἀμφὶ χαλκοφάλαρα δώματα κτυπεῖ;* quocum confer Tro. 520 *ἵππου χρυσεοφαλάρου.* Facetissime comicus quo efficacius toruum et minacem uultum Aeaci Ran. 465 Pseudo-Herculem excipientis ridendum nobis proponat, Euripidem arcessit; ne dicam statim quasi aduenae quo impletus est tragici poetae desiderium exsatiari, si meminerit cum scholiasta uersuum e Theseo sumptorum haud sane blandientium: *ὦ βδελυρὲ κἀναίσχυντε καὶ τολμηρὲ σὺ καὶ μιαρὲ καὶ παμμίαρε καὶ μιαρώτατε·* eadem tragoedia etiam quod sequitur u. 470 *Στυγὸς πέτρας* epitheton *μελανοκάρδιος,* nimirum commodissimum, exhiberi idem testatur scholiasta. Cetera ipsi inuenire possumus: Ran. 471 *Ἀχερόντιος σκόπελος αἱματο-*

σταγής Suppl. 812 τῶν δυσπότμων σώμαθ' αἱματοσταγῆ et u. 473 Ἔχιδνα ἑκατογκέφαλος Herc. fur. 883 ἑκατογκεφάλων ὄφεων ἰαχήμασι, u. 478 δρομαῖον πόδα Bacch. 136 ἐκ θιάσων δρομαίων. Au. 685, ubi Aues nouam suam et uentosam proponunt philosophiam, uanae, qua Euripides (cf. fr. 836) de coeli et terrae coniugio utebatur, doctrinae admonitum se indicat poeta comicus, meram ironiam Euripideis quibusdam epithetis efficturus: Au. 695 ad Noctem, Amoris matrem, significandam ei commendatum est μελανόπτερος adiectiuum, Hecab. 765 (μελανόπτερον φάσμα) exstans, quo partui qui editur, i. e. ὑπηνέμιον ᾠόν („Windei"), lepide satisfaciat, ne dicam alias somnia ὑπηνέμια denotari; alterum quod ad Euripidem refero, u. 697 εἰκὼσ ἀνεμώκεσι δίναις, cum Phön. 163 ἀνεμώκεος νεφέλας conferre licet. Mnesilochum, qui in Thesmophoriazusis tanquam fidus poetae socius uidetur, litteris Euripideis prorsus initiatum esse cum ultro potest apparere tum uu. 855—6 confirmatur, quibus Helenae exordium recitat: Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί, ὃς ἀντὶ δ'ας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον, et paullo post u. 1008 sqq. Euripideis quibusdam epithetis exornatis, uelut u. 1022—3 ἄνοικτος ὃς μ' ἔδησε τὸν πολυπονώτατον, qua oratione utitur Perseus Eur. fr. 120, u. 1041 πολυδάκρυτον Ἀιδα (Herc. fur. 426), u. 1054 λαιμότμητ' ἄχη (Hec. 208 λαιμότομον Ἀίδᾳ . . . σκότον, cf. Electr. 459. Ion 1055). Alia etiam cum frustulis Euripideis irrepserunt in comoedias Thesm. 871, ubi ipse tragicus sua repetit ex Hel. 685 τίς τῶνδ' ἐρυμνῶν δωμάτων ἔχει κράτος, Pac. 527 ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον πλέκος, quo enuntiato ex Eur. Telepho (fr. 721) sumpto Trygaens grauius quodammodo Pacem deam γύλιον στρατιωτικόν (u. 527) fastidientem faciat. Aeschylus Ran. 1309 sqq. aemuli carmina carpit profecto certis obuersantibus locis; repperi unum, imprimis epithetis insignitum, Eur. Electr. 435, repetitum Ran. 1317—8 ἵν' ὁ φίλαυλος ἔπαλλε δελφὶς πρῴραις κυανεμβόλοις. Optime cognoscas parodiam, qua ualde quaesitam uel tritam elocutionem carpat, Vesp. 756 sq., ubi Philocleo absentem animum desiderans „ποῦ μοι ψυχή;" Bellerophontis usurpat orati-

onem (fr. 310): *πάρες, ὦ σκιερά*, i. e. *ψυχή*. Nub. 718 Strepsiades de damnis sophistarum disciplina sibi allatis questus ipsum Peleum, qui de Neoptolemi morte certior factus hos gemitus edit Androm. 1078 *ἀπωλόμην· φρούδη μὲν αὐδή, φροῦδα δ᾽ἄρθρα μου κάτω*, ita exsuperat: *φροῦδα τὰ χρήματα, φρούδη χροιά, φρούδη ψυχή, φρούδη δ᾽ἐμβάς· καὶ πρὸς τούτοις . . . ὀλίγου φροῦδος γεγένημαι.*

Exhibentur comoediis permulta alia, quae tragicum prae se ferant colorem, sed quae hinc illinc decerpta ad unum alterumue referre dubito, ne quis significari uideatur. Huc spectant adiectiua cum *φρων, εἴδης, πληθης* composita, unde saepenumero orationi ubertas quaedam et grauitas redundat. Usurpat cum magniloquentia hunc morem illudente Aristophanes Eccl. 110 *γυναικῶν θηλύφρων συνουσία*, ubi de noua mulierum ecclesia disceptatur, Thesm. 131 *μέλος θηλυθριῶδες*, Mnesilocho chori dulcedinem admirante (cf. Plut. 560 *γαστρώδης*, u. 561 *σφηκώδης*, u. 793 *πρεπώδης*); Eccl. 387 *λευκοπληθὴς ἐκκλησία* i. e. mulierum (cf. Aesch. Pers. 124 *γυναικοπληθὴς ὅμιλος*). Cothurnum, quem parricida Au. 1337 affectat, imitatur Pisthetaerus u. 1340 *ἔοικεν οὐ ψευδαγγελὴς εἶν᾽ ἄγγελος*, cum grauitate tragicis usitata nominis notione epitheto repetita. — Saepius maluit comicus uulgari dicendi rationi inseruire, cum ad compositorum publice receptorum similitudinem una tantum compositi parte seruata iocose fingeret noua, quibus uel ad res simpliciori hominum captui aptiores descenderet uel ambiguitatem quandam efficeret. Sed apparet pleraque ex tempore facta et cum autore ipso et nata esse et occidisse. Quem ad finem progressa sit audacia Au. 869 a Pisthetaero docemur, qui Neptuni cognomen *Σουνιάρατος* (Eq. 560) ad ciconiam, sc. nouum deum, notandam ita detorqueat: *ὦ Σουνιέρακε, χαῖρ᾽ ἄναξ Πελαργικέ.* Eccl. 1153 *μέλος μελλοδειπνικὸν* mulieres usurpant, *μελλοθάνατος, μελλόνυμφος* (Soph. Ant. 633) exemplis usae; Pac. 304 *ἡμέρα μισολάμαχος* celebratur, tamquam *μισοπόλεμος*, nec non Lamachi significatio mirum quantum spectatorum sensus iuuat. Simili modo Pax dea u. 662 *μισοπορπακιστάτη* laudata proprius ad ciuium oculos accedit. Festiue comicus Junonis

epitheton *χρυσοπέδιλος* (Hom. Od. XI, 603. Hes. Th. 454. 952) arcessit, ut faciat *συκοπέδιλος*, *Δωροῖ* inditum, tanquam „in Sykophantenschuhen einhergehend"; Lamachum tragicae orationis peritum non miramur, cum dicat Ach. 1124 *φέρε δεῦρο γοργόνωτον ἀσπίδος κύκλον* (cf. Eur. Herc. fur. 376 *ποικιλόνωτος*, u. 398 *πυρσόνωτος*), admiramur Dicaeopolidis facetias respondentis u. 1125 *κἀμοὶ πλακοῦντος τυρόνωτον δὸς κύκλον*, in hac re certe sensum magis idoneum habentis. Ut *παρθενοπίπης*, *παιδοπίπης* facta obueniunt Eq. 407 *πυροπίπης*, Thesm. 393 *οἰνοπίπης*, quo epitheto se esse ab Euripide affectas mulieres queruntur, ut *ὀξυκώκυτος* (Soph. Ant. 1316 *πάθος*) Lys. 448 *στενοκώκυτος* (*τρίχες*), neque aut manifestius aut arctius possunt capilli describi ita radicati, ut haud sine magno gemitu possint euelli. Lepide poeta populum Atheniensium denotat Eq. 41 *κυαμοτρώξ* epitheto (altera pars exstat in *φυλλοτρώξ* aliis), quo cum pultis fabaciae tum litium — fabis enim suffragium dabatur — cupiditatem perstringeret. — Omnino homines euphemismo uidentur gaudere, cui conueniunt epitheta quaedam, quorum uis certa annominatione uertitur: Ach. 808 *χοιρία Τραγασαῖα* dicuntur, quasi porculi Tragasis nati, quae urbs in Epiro sita quid hoc loco uelit intellegi non posset, nisi *τοῦ τραγεῖν* spectatores admoneret, porculorum ad uescendum aptorum; nec perperam interpretari potuerunt Ach. 854 *ὄζοντα κακὸν τῶν μασχαλῶν πατρὸς Τραγασαίου*, i. e. in pauca collatum „hircum olentem". Facile etiam, praesertim u. 725 *ἐνταῦθα μήτε συκοφάντης εἰσίτω* respiciens, in Ach. 726 *Φασιανὸς ἀνήρ* subaudiueris *τὸ φαίνειν* i. e. *συκοφαντεῖν*, quod ad notandum Phasis fluuius arcessitus est.

Longius etiam progreditur comicus in uulgari effingendo sermone, cum ex hominum negotiis sordidisque artibus ducat epitheta quaedam, et quibus qui exercent significantur, et quibus ipsi, quotidianam uitae consuetudinem haud egressi, quasi propriis et familiaribus utuntur. Hac ratione intellego Cleonis epitheta Eq. 307 *βορβοροτάραξις* et Pac. 753 *βορβορόθυμος*, quibus denotatur qui rempublicam tamquam limum coriarium, quem solitus

erat, agitet et permisceat. Depinguntur carbonariorum mores duri et inexorabiles a Dicaeopolide ex ipsa carbonum natura Ach. 180—1 *στιπτοὶ γέροντες, πρίνινοι, ἀτεράμονες, σφενδάμινοι* (cf. u. 666 *ἀνθράκων πρινίνων*), eademque metaphora uulgari sensui commendata est ad constantem animum iudicum notandum Vesp. 383 *πρινώδης θυμός*, u. 877 *τὸ λίαν πρίνινον ἦθος*. Ipsi carbonarii uocant musam suam Ach. 665 *φλεγυρὰν πυρὸς ἔχουσαν μένος* et defensionem, qua Dicaeopolis hostes defendit, denotant u. 315 *τοῦτο τοὔπος δεινὸν καὶ ταραξικάρδιον*, quo tamquam rotabulo animum *ταράττει*, excitat. Rusticum cognoscimus Dicaeopolidem Ach. 507—8, cum se libere dicturum remotis arbitris confirmet: *ἀλλ' ἐσμὲν αὐτοὶ νῦν γε περιεπτισμένοι*, quasi ualuulis exemti, *τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω*, i. e. paleas; saepius uinitorem, cum animum omnibus tragicis subsidiis instructum ita alloquatur Ach. 484: *οὐκ εἶ καταπιὼν Εὐριπίδην*, et ipsum poetam u. 462. 467 *ὦ γλυκύτατ' Εὐριπίδη*. Idem morositatem carbonariorum et acerbitatem uino ex uuis austeris facto comparans hanc usurpat orationem Ach. 352: *δεινὸν γὰρ οὕτως ὀμφακίαν πεφυκέναι τὸν θυμόν* etc. Atque ex iudicum choro in Vesparum fabula quosdam esse uinitores concludere possumus et u. 1082 *θυμὸν ὀξίνην* (idem fere quod *ὀμφακίας*) et u. 481 *τοῦτο γὰρ παρεμβαλοῦμεν τῶν τριχοινίκων ἐπῶν*, i. e. uerborum capacium, ingentium. Eandem metaphoram exhibet *ῥῆμα μυριάμφορον*, quod Pac. 521 Trygaeus, qui est merus uinitor, desiderat ad Pacem deam carissimam dignissime compellandam, similem audaciam Au. 465 *λαρινὸν ἔπος*, i. e. fett, gemästet, quod epitheton subuenit Pisthetaero coenandi admonito: interrogat Euergetes *δειπνήσειν μέλλομεν, ἢ τί;* Pisthetaerus: *μὰ Δί', ἀλλὰ λέγειν ζητῶ τι πάλαι μέγα καὶ λαρινὸν ἔπος τι*. Sed redeo ad Trygaeum; suauitatem pacis significat adiectiuo *σαπρός* u. 554 *ἅπαντα μεστὰ εἰρήνης σαπρᾶς*· ac profecto uetustum uinum quippe suaue *σαπρον* uidetur dictum respicientibus Plut. 1086 *τροὺξ παλαιὰ καὶ σαπρά*. Ornat ipsam deam cognominibus e uinea sumptis, u. 308 *φιλαμπελωτάτην* dicit, u. 520 *βοτρυόδωρον*.

Nec facile Allantopoles in Equitum fabula in scenam productus ultra fines suae conditionis excedit. Etiam epithetis cognoscimus cauponem iurantem per Mercurium *τὸν ἀγοραῖον* u. 297, farcimina facientem uocabulo, quo draconem designat u. 198, *αἱματοπώτην*, quasi botulum cruore distentum, et u. 1399, cum Cleonis suam comparet artem hoc modo: *τὴν ἐμὴν ἕξει τέχνην, τὰ κύνεια μιγνὺς τοῖς ὀνείοις πράγμασιν*, uilia eius atque abiecta studia carpens. Cauponam etiam sapiunt u. 216 *ῥημάτια μαγειρικά*, quorum Allantopolem satis peritum esse ad blandiendum populo Demus conicit, et u. 345 *πρᾶγμα ὠμοσπάρακτον*, quod ad curandum ille aptior uidetur Cleoni quam ad ipsius munia callidiora. Finem faciant senes illi militares, qui in mulierum scelera inquisituri Lys. 485 *ἀκωδώνιστον ἐᾶν τὸ πρᾶγμα* nolunt; metaphora spectat ad morem illum militarem, e quo qui uigilias circumibant tintinnabula gerebant tentandae causa custodum uigilantiae.